

*Mellmann, De interpretatione
GVM ROMANARVM;*

COMMENTATIO
DE INTERPRETATIONE LE-^{1615.}
GVM ROMANARVM;
PRAESERTIM
CODICIS REPETITAE PRAELECTIONIS.

PARS PRIMA, EAQVE GENERALIS,

QVAM

SVB AVSPICIIS CLEMENTISSIMIS
CAESAREAE CELSITVDINIS, SERENISSIMI PRINCIPIS AC
DOMINI

1770, 3

28

PAVLI PETRIDIS
IMPERATORIAE CORONAE HEREDIS IN THRONO
SVCESSORIS, MAGNI DVCIS, TOTIVS RVTHENORVM
IMPERII HEREDIS NORVEGIAE SVPREMI DVCIS
SLESVICI DVCIS HOLSATIAE STORMARIAE
DITHMARSIAE COMITIS OLDENBURGICI
ET DELMENHORSTI RELIQA.


RECTORIS ET CANCELLARII
ACADEMIAE CHRISTIANAE ALBERTINAE
MAGNIFICENTISSIMI:

CONSENSV ILLVSTRIS ORDINIS IVRIDICI
AD SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
LEGITIME OBTINENDOS
D. DECEMBR. MDCCCLXX.

DEFENDET

IOANNES DIETERICVS MELLmann.

KILIAE HOLSATORVM: LITTERIS BARTSCHIANIS.



dem
liben
cis re
docti
GERA
TEIV
tame
nis d
etissi

(a)
(b)
(c)
(d)



PRAEFATIO.

Cum vitae Academiae ratio exigat, ut exercitatio-
nem aliquam publice defendam, mihi si non in-
veniendi nova, at certe iudicandi de veteribus
imposuisse curam non iniuste videar, mea qui-
dem sententia sat beatus, prima gloria acutioribus ingeniis
libenter relitta. Quamvis probe sciam, de legitima Codici-
cis repetitae praelectionis interpretatione praecclare cogitasse
doctissimos iureconsultos, e quibus potissimum laudare iuvat
GERARDVM NOODT; (a) IOANNEM AVG. BACHIVM; (b) VVL-
TEIVM; (c) & denique GUILIELMV M FORSTER VM: (d) minime
tamen, mihi viam plane tritam, & vulgarem ingresso aie-
nis demum vestigiis esse insistendum putem. Nam viri do-
ctissimi omnes fere obiter hanc rem monuerunt sive negli-
gentes

(a) in Julio Paulo cap. VII.

(b) In dissertatione de praescriptione centum annorum, & in historia
iurisprudentiae Romanae p. 605.

(c) Libr. I. quaest. 30. n. 25.

(d) discept. 15.

gentes ea, quae parva videbantur; sive exiguum sperantes gloriari e re, tametsi necessaria, ab eruditionis ostentatione forsan remota. Sed cum nihil a studio, quod profiteor, alienum existimem, sine quo non posse iureconsultum evadere fatendum est, etiam ad minora, quibus neglectis maiora intelligi nequeunt, descendere non recuso. Quis legum vim & potestatem rite tenere potest, nisi prius ipsarum legum verba, rationem, indolem, & obligationem, quam legislator illis tribui voluerit, penitus perspexerit? At ita est: spectantur operum summa, & latent fundamenta.

Sed iam ipsius libelli, quem e manu mitto, ordinem, ac rationem necesse est exponere. In parte prima generalia quaedam de interpretatione legum Romanarum commode praemitti posse putavi. Quibus in meditationibus id mihi potissimum dedi negotiis ut omnes interpretandi regulas Iureconsultorum placitis & legum exemplis confirmarem, ac illustrarem. Quibus absolutis in parte altera, legum, quibus Codex compositus est, naturam ac indolem, simulque rationem illas dijudicandi exponere conabor. Denique omnia ista, si quae sint, principia, & fundamenta in meum usum vertere, & inde regulas in interpretando & applicando codice observandas eruere studebo.

In siagulis capitibus ita sum versatus, ut ex ipsis fontibus haūrirem, perfectis tamen, & consultis iis iuris peritis, qui in quibusdam argumenti nostri locis industria, & doctrina veritati sunt. Evidem ex quo animum ad artem legitimam applicuerim, utilissimam & favissimam viam iura discendi & applicandi esse credidi, cum legum studio, historiae, & artis criticae notitiam coniungere, simulque ex ipsis status publici ratione legum originem, vicissitudines, & obligandi vim diligenter indagare.

PARS



PARS PRIMA, ET GENERALIS.
DE INTERPRETATIONE LEGVM
ROMANARVM VNIVERSA.

I.

*Lex certa nullo modo est interpretanda, sed
simpliciter applicanda.*

Legem indubitam, claram, sive certam obsequio
subditorum tantum relictam esse, neque ullius,
sive privati, sive iureconsulti, sive magistratus
interpretationem desiderare diserte declaratur *in*
l. 23. D. de Legibus &c.; ubi Paulus iureconsultus, minime
inquit, sunt mutanda, quae interpretationem certam semper
habuerunt. Quid? quod legis ratio etiamsi non liqueat,
modo aperta fuerit & clara legis sententia; ne tum quidem

A 3

de interpretatione cogitare verecundum iureconsultum decet. Haec est procul dubio sententia *L. 20. D. de Legibus*, ubi Iulianus probe monet, *non omnium, quae a maioribns constituta sint, rationem reddi posse*, quem locum **GERARDVS NOODT** (a) acutissimum iureconsultus, exemplo ex Plutarcho adducto egregie, ut solet, illustravit. Verum quidem est, pleraque legum placita, prius, quam constituantur, esse indifferentia, neque ea, quae legibus introducantur, neglectis iustiora semper, & meliora esse. At rerum civilium, & tranquillitatis publicae omnino interest, ubi certa legum sit sententia, non anxie inquire in rationes eorum, quae legibus caveantur, ne perpetua de legum mente inter partes lis exoriatur, & multa, alioquin certa, revertantur. De tali perversa inquisitione in legum certarum dubiam rationem Neratius in *L. 21. D. de Legibus* scripsisse videtur dicens: *rationes eorum, quae constituantur, inquire non oportere.* Diu enim ante & recte observavit **GERARDVS NOODT** per *inquirendi* verbum iureconsultum nostrum nullam aliam inquisitionem intellexisse, quam mutandi, corrigendique animo factam.

II.

Neque legem duram, quae tamen certa, & indubitate est, recte interpretari.

Deinde, si quae legis dispositio certa alias, & nulla obscuritate laborans iusto durior videatur, nec ibi introducenda aequitatis obtentu interpretationem admittendam esse puto. Non longe petam sententiae meae fidem; ex ipsius scilicet interpretationis natura, ac indole. Legem enim inter-

(a) *Libr. 1. observat. iur. civ. cap. 2.*

interpretari quid aliud est, nisi eius ambiguitatem tollere, & vim illius dirigere ad aequitatem ex mente ipsius legis petitam? At aequitatem legi adscribere, quae certa est, & nulla ambiguitate laborat, & quidem, ut fieri solet, contra mentem legis, minime est legem interpretari, sed mutare, seu potius in aliam & novam convertere. Hoc autem non cadit in iureconsultum, quippe qui solus est minister legum, sed solius principis est, utpote fontis legum, & iurisdictionis. Optime id expressit Constantinus in *L. 1.*
C. de Legibus ita sentiens: *Inter aequitatem eiusque interpretationem nobis solis & oportet, & licet inspicere.*
At dicas forsan, Iureconsultos Romanos vel sexcentis locis, interpretibus aequitatem, & honestatem fuisse, & ipsos iuris rigorem saepissime humanitate emollivisse. (a) Sed omnes locos istos si excutere iuvaret, inventire liceret, Iureconsultos nullo loco autores fuisse, ut lex dura, *cuius mens certa, & clara sit*, aequitatis praetextu mutetur, & in novam transformetur. Potius caverunt, ne quis leges permissivas iniuriae aliis inferendae praetenderet. Itaque & illi ipsi iureconsulti aequitatis amantes, tales tantummodo leges, de quarum mente disputari adhuc potuisset, non duriori interpretatione ad severitatem, sed humanitate ad aequitatem producere studuerunt.

III.

(a) *L. 144.* D. de R. I.*L. 1. 3.* D. de pericul. & com. R. V.*L. 91. 3.* D. de Verb. Oblig.*L. 29. 4.* D. Mand.*L. 13. 7.* D. de Excus. tutor.

III.

Lex incerta interpretatione adiuvanda est.

Quae cum ita sint, facili negotio, ni fallor, intelliguntur, quamecumque legem, cuius sententia certa sit, omnem respueret interpretationem, & hoc merito referendum esse dictum LACTANTI lib. 11. divinar. Inst. c. 6. *Tanta est autoritas veteris statis, ut inquirere in eam scelus esse dicatur.* Sed longe aliter res sepe habet, ubi legum verba dubia sint, atque incerta. Tunc ius incertum interpretatione adiuvandum est, ut mens legis, quippe quae omnes tenet, etiam omnibus clareat. Hic omnino erunt tenenda, quae CICERO libr. 1. Officior. cap. 13. egregie monet: *semper in fide, id est in promisis, quid senseris, non quid dixeris, esse cogitandum.* Id, quod Celsus iureconsultus in l. 7. in f. D. de suppell. leg. ita exprimit. *prior, & potentior est, quam vox, mens dicentis.* At nunc, qua ratione dubitatio ob verba legis tam obscura; quam ambigua orta (a) tolli, & interpretatio legis rite institui possit, paucis erit exponendum. Sed omnia trita, & sexcenties repetita non iuvat describere ita mihi placet illud Homeri Odyss M. in fine:

*εχθρὸν δὲ μοι εἴσιν
Αὐτὶς αριζήλως ἐργάσαται μυθολογεῖν.*

IV.

Praeceptum primum, cuiusque interpretationis proponitur.

Quaecunque dubitatio, quae de legibus unquam potest existere

(a) Varias causas, unde obscuritas & ambiguitas orationis oriri solent investigarunt, & collegerunt.

CHRIST. HENR. ECKHARDVS in hermen. iur. pag. 17.

IOANN. CLERICVS in arte critica P. II. Sect. I. c. 12.

OVINCTILIANVS Inst. orator. VIII. 2.

existere vel in ipsis legum verbis exponendis, vel in mente legum eruenda solet versari. De utraque autem dubitatio-
ne ante omnia, si quid iudicem, tenenda sunt, quae in I.
24. D. de Legibus egregie observavit Celsus iureconsultus
acutissimus: "Incivile nimirum esse, nisi tota lege perspecta,
una aliqua particula eius tantum proposita, iudicare, vel re-
spondere.

Optima sane observatio, & digna tanto iureconsulto;
quae non in legibus solum, sed etiam in omnibus privatis
adeo scriptis interpretandis est observanda, nisi quis a vera
autoris sententia vehementer velit aberrare. Multa enim
sunt, quae prave & calumniose dicta, & scripta videantur,
si loco dimoveantur, & principio suo defraudentur, & si
quaedam ex ordine illorum supprimantur vel negligantur.
Recte CICERO lib. 1. de Invent. cap. 40. "ex superiore, & ex
inferiori scriptura id, quod quaeratur, fieri perspicuum." Item-
que AVGVSTINVS contra Adamantium cap. 4. particulas,
inquit, "quasdam de scripturis eligunt, quibus decipiunt im-
peritos, non connectentes quae supra, & infra scripta sunt,
ex quibus voluntas, & intentio scriptoris possit intelligi. Pro-
inde sumnum interpretationis momentum in eo cernitur,
ut loca similia, quae coniuncta origine, & loco vocat HV-
GO GROTIUS libr. xi. de iure belli & pacis cap. 16. §. 7 , di-
ligenter conferantur, ac deinde, quae antecedunt, quaeque
sequuntur, probe examinentur. (a) Hanc cautionem ad-
modum necessariam quicunque neglexerit, & tamen forte
in leges explicandas inciderit ex eorum interpretum nume-
ro esse intelligitur quos CICERO epist. 10. ad Brutum falla-
ces interpres vocat, qui quidem explicationibus suis rem,

B

vel

(a) CHRIST. HENR. ECKHARDI herm. iur. p. 7. §. 15.

vel locum ita detorquent, ut indulgendum sit quaerelae,
corpus, de quo agatur, esse

Lacerum crudeliter ora,

Ora manusque ambas.

Quod interpretum genus, dici non potest, quantum detrimenti adferat solidiori iurisprudentiae. Tales Φευδονγίτικοι de legum structura, natura, ac indole parum folliciti nihil aliud moliuntur, nisi ut arbitrio suo, licet perverso, leges fingant, atque refingant. Quorum interpretum pruritui IVSTINIANVS imperator obicem forsan obicere voluit, dum commentarios in iuris a se compilati corpus conscribere vetuit in L. 2. §. 21 & 22. & L. 3; 21, 22. C. de vet. iur. encl. Omnes enim interpretationes non plane prohibuisse imperatorem HEINECCIVS vel inde recte colligere videtur, (a) quod paraphrasin omnino liberam, & extensam haud multo post ediderit THEOPHILVS, illustris antecessor Constantinopolitanus, qui quin concinnando iuris corpora a IVSTINIANO adhibitus fuerit equidem nullus dubito. (b) Sed prorsus alia criticorum multorum fuit sententia, qui nimio interpretandi, & emendandi pruritu ducti rem eo saepissime redegerunt, ut IVSTINIANVS reviviscens, vix corpus suum agnitus, sed exclamatus esset:

Hei mi, qualis eram! (c)

V.

In lege obscura ante omnia vera legis lectio est indaganda.

Stabilito illo generali interpretationis praeccepto nunc de legum verbis, eorumque explicatione quaedam monere liceat.

(a) HEINECCIVS in praef. ad edit. Corp. iur.

(b) GVNDLINGIANA part. 1. de Theophili paraphrasi Inst.

(c) HOTOMANNVS in Antitribonianio cap. 15.

liceat. Si vera fuerit legis obscuritas, nec ex iis, quae antecedunt, quaeque subsequuntur, ratio, & mens legis intelligi possunt, vulgatae lectionis inquisitionem, & si ita videatur, emendationem fieri debere docet QVINCTILIANVS, qui de grammatici munere agens, praecepit L. 1. *Inſt. orator. cap. 4.*, ut enarrationem, id est, interpretationem praecedat emendata lectio. Fatendum omnino est, fieri non potuisse, quin multa legum verba corrumperentur, depravarentur veluti Absyrti membra disiecta. Inciderunt libri nostri, fati & temporum iniuriis, in manus librarium, (a) & glossatorum rudium, (b) qui nullis linguarum, & artium praefidiis instructi codices neque emendare, neque probe intelligere poterant. Deinde & inciderunt in manus malorum typographorum, qui codices iam prave descriptos pessimis insuper litteris excudebant. Qua de re quisque masculae & solidae iurisprudentiae amans de vera legis scriptura restituenda follicitus esse debet. Quo magis contennenda est eorum sententia, qui artem criticam ex iureconsultorum scholis prescribendam putent propterea, quod *leges non verbis, sed rebus posita sunt*, ut ait IVSTINIANVS in L. 28. C. de Usuris & L. 2. C. comm. de l. g.

B 2

VI.

- (a) Servi & impuberes adeo ad libros describendos adhibebantur, uti patet ex l. 7. 5. D. de oper. libert. Quin ancillas quoque hoc officio functas esse confirmat inscriptio apud Thomam REINESIVM XI. Inscript. CXIII, ubi laudatur METTIA IUNIA LIBRARIA. add. Ian. GRUTERVM p. DXCIV. Inscript. 3. Inde veniunt tot veterum de corruptis, & depravatis exemplaribus querelae, & testimonia: ut A. GELLII L. VII. N. A. c. XX. SENECAE L. I. Controvers. c. VII. MARTIALIS L. II. epigr. VIII. Add. IOANNES CLERICVS in arte critica Vol. II. Sect. I. c. I. II. seq
 (b) Cornelius van BYNKERSHOECK in praef. obſerv. Iur. civ.
 Io. Gottl. HEINECCIVS in opuscul. minor. p. VI.

VI.

*Nonnulla legum exempla ope mutatae lectionis emenduntur,
ac restituuntur.*

Operae pretium videtur, exemplis nonnullis confirmare, quantam lucem emendata lectio legibus saepe afferre possit. Quo consilio has potissimum leges proponam. Sensu omnino carent verba l. 1. §. 32. *D. depositi*, ubi leguntur in editione vulgata: Si rem a servo depositam Titio, *quem dominum eius puta Stichum cum non esset*, restituisses, depositi actione te non teneri Celsus ait. Sed observato mendo, quo verba *quem dominum eius puta Stichum cum non esset*, procul dubio laborant, plana & perspicua erunt omnia. Illa enim verba ita legenda videntur; *quem dominum eius putasti, cum non esset.* Alterum exemplum apponam ex l. 34. §. 4. *D. de iureiurand*: ubi Ulpianus ita insit: *Hoc ius iuriandum neque patrōno, neque parentib⁹ remittitur.* At loco nostro manifeste obstant l. 16. *D. de iureiur.*, ubi ipse Ulpianus, *si patronus, inquit, deferat iuriandum libertas suae de calunnia, non debet irrage: itemque l. 7. 3. de obseq. par. & patr. praef. l. 13, 14. D. de dāmno inf.* Nec non cum his locis amice conspirant βασιλικῶν autores, qui ita scribunt: ὁ επάγων πρώτος ὅμυοι τὸν περὶ συκοφαντίας ἔαν ἀπαιτηθῆ, ἐν τῷ ὅμυοι πατήρ οὐ πάτερ, uti observat CIVACIVS l. IX observ. c. 37. Sed si in superiori loco a librario peccatum esse credas, & ab Ulpiano scriptum *aque patrōno, atque parentib⁹*; obscuritas, & dubitatio, quaē subnascebatur, evanescunt. Pluribus de hac re egerunt DVARENVS ad Tit. de iureiur. cap. IV. Hugo DONELLVS l. XXIV. comm. iur. civil. c. 21. & denique Ev. OTTO in praef. Tom. II. Thes. iur. civ. p. II. Nec hoc studium, quae felicitas nostrae aetatis

tis

tis est, difficile amplius esse potest, modo plures aquam puram, quam turbidam bibere malint. Superiora iam saecula attulerunt litteras elegantiores, & fragmenta veteris aevi
 BASILICA, THEOPHILVM, HARMENOPVLVM, & ne multa, artem criticam, sive qua non est, qui sapiat in ulla disciplina. Habuimus etiam iureconsultos subacti ingenii, & iudicii, qui latissimam illam criticorum provinciam in se supererunt, & magna cum laude gesserunt. Certè ALICATO,
 CVIACIO, AVGVSTINO, NOODTIO, BYNKERSHOECKIO, HEINECCIO, BOEHMERO aliisque quam plurimis ob insignia in illam studii legitimi partem merita laus, & honor semper manebunt.

VII.

De Verborum legalium interpretatione rite facienda.

Proinde, si qua lex istis, iam praestructis, obscuritate quadam laborans explicacione sive interpretatione adiuuanda videatur, tum potissimum inspici debent ipsa verba, & quidem *omnia*, mentem legis explicatura. Sunt autem verba, de quorum ambiguitate & expositione brevibus disputandum est, vel simplicia, vel composita. Simplium quidem ambiguitas oriri potissimum solet ex pluribus illorum verborum significationibus, tam propriis, quam impropriis. Alia plane obscuritatis ratio cernitur in verbis compositis, quorum scilicet perversa compositio, seu potius structura dubitationem adferre solet. In utroque casu, si propria verborum vis, & significatio salva legis sententia retineri nequeat, ipsi rei, de qua agitur, aptior significatio, & structura erit eligenda. Ac mihi quidem maxime accommodatum illud semper vistum est, ex ipsis legibus, & iure-

consultorum placitis, ut alia omnia, quae in hoc genere ver-
santur, ita & leges interpretandi petere. Qua de re regu-
lam nostram testimonio Celsi Iureconsulti ex l. 19. D. de legi-
bus &c. lubenter confirmo. Ita enim ille:

*"In ambigua voce legis ea potius accipienda est significa-
tio, quae VITIO caret (id est rei gerendae aptissima) praesertim
cum etiam voluntas legis ex hac colligi potest.*

Sapiens sane est hoc Iureconsulti nostri praeceptum.
Hac sola enim ratione absurdum, & stulta legum interpretatio
declinari potest, cum minime credendum sit, legis auto-
rem, pro utilitate publica tantum sollicitum, ia re admo-
dum gravi inepite loquisse.

VIII.

Nonnulla exempla legalia affiruntur & exponuntur,

Ea omnia, quae modo monuumus, probe, & diligenter
perspicerunt ac tenuerunt veteres Iureconsulti Romani, ut
complura legum exempla testantur. Quod paucis, quidem
at vero aptis exemplis declarare constitui, ex quibus simul
apparet, iis, qui ad eruditionem iustam bona fide enitun-
tur, ex ipsis Veterum Iureconsultorum scriptis optimam le-
ges explicandi rationem petendam esse. Elegans exemplum
est illud Ulpiani in L. 3. §. 1. D. de Donat. *inter vir. & uxor.*
ubi donationibus inter virum & uxorem consuetis contra
simplicem verborum structuram etiam eiusmodi coniuges,
prohibentur, quorum matrimonium ob impedimentum
quoddam moribus ac legibus non est constitutum. Nefas
enim fuerit, ut Iureconsultus recte observat, donationes
inter coniuges in illegitimo matrimonio viventes ratas esse,
ne melior sit conditio eorum, qui deliquerunt. Illam con-
stitu-

stitutionem nisi Iureconsultus hunc in modum esset interpretatus, *vicio*, id est, absurditate carere nullo modo potuisse.

Alterum exemplum, & ipsum insigne petam e. l. 36, 3.
D. de pet. haered., quo in loco etiam Paulus Iureconsultus verba Senatus Consulti cuiusdam ita interpretatus est, ut verba & mens legislatoris *vicio* sive absurditate carere possint. Locus Pauli hic est, qui sequitur:

"Si praedo dolo desisset possidere: res autem eo modo interierit, quo esset interitura. et si eadem causa possessionis manessisset: quantum ad VERBA Senatus Consulti melior est causa praedonis, quam bona fidei possessoris, quia praedo, si dolo desiderit possidere ita condemnatur, atque si possideret, neque adiectum esset, si res interierit. Sed non est dubium, quin non debeat, melioris esse conditionis, quam bonae fidei possessori. Itaque, & si res pluris venierit, electio debet esse actoris, ut pretium consequatur, alioquin lucretur aliquid praedo."

IX.

Expositio legis 15, D. 5 De locatione conductione.

Vidimus hue usque, qua ratione obscuritas legum, quae ex incongrua verborum inter se iunctorum structura oriuntur, emendanda, atque tollenda sit, ut lex *vicio*, ut cum Iureconsulto loquar, careat, & mens autoris clara luce resulgeat. Iam pulcro exemplo demonstrare iuvat, quomodo verborum simplicium ambiguitas ex pluribus significacionibus profecta docto interpreti sit removenda. Apponam exemplum ex Lege 15. 5. D. de Locat. Cond., ubi Ulpianus sic infit:

Cum

"Cum quidam de fructuum EXIGUITATE quaereretur, non
 esse rationem eius habendam rescripto Duci Antonini continetur.
 Idem alio rescripto ita continetur: rem novam desideras, ut
 propter vetustatem vinearum remissio tibi detur. (a) Ratio
 rescripti illius in promptu quidem esse videtur, si exiguitatem
 fructuum, quae colonum queri coegit, intelligas de
 fructuum parvitate. Cum enim ob solam sterilitatem con-
 cedatur mercedis remissio; parvitatis ratio omnino haben-
 da non erit, multaque minus si multitudine fuerit compen-
 sata. At illa vocis *exiguitatis* significatio rei in lege propo-
 sitae minime apta videtur. Dixerat iam Ulpianus §. 2. b. l.
 damno colono esse, si qua vitia ex re ipsa orientur; & par-
 vitas fructuum ex arbore, vel fundo est. Itaque alia, &
 rei aptior querenda est significatio. Aperta omnino erit
 rescripti sententia, si per *exiguitatem*, de qua questus est
 colonus in lege laudata non intelligas fructuum *parvitatem*,
 sed potius *vilitatem*, per quam colono non licuit pretium
 iustum ex natis fructibus redigere, & ob quam remissionis
 obtaindae causa imperatorem adiit. Sed non placuit istam
 remissionis causam accipere propterea, quod colonis non
 succurritur, nisi ex causa, quae praeter opinionem, seu ut
 alibi dicitur, *seß Bis*, accidit. Sed videamus adhuc, utrum
exiguitas & *recte*, & latine per *vilitatem* verti possit, HO-
 RATIVS ea significacione usus videtur libr. III. Od. 6.

Iam bis Monaeses & Pacori manus

Non auspicator contudit impetus

Noſtrōs, & adicisse praedam

Torquibus EXIGVIS renidet.

Narrat enim ille, Parthos antea viles & tenues torques e
Roma-

(a) V. BYNKERSHOECK observationes I. R. L. II, c. 13.

Romanorum praeda locupletasse. Sed & ipse Ulpianus, de cuius sententia agitur, in l. 75. D. de legat. III. nummos EXIGVIORES dixit & intellexit viliores. Etiam Paulus in l. 42. D. aet. empt. EXIGVVM modum silvae dixit, & sine dubio intellexit modum vilem, & pretii minoris. Dici sane non potest, quantopere genuina, & profunda verborum cognitio leges, & iuris nostri placita possit illustrare. Neque profecto ullam curam meretur censura eorum, qui vocum indagationem suo ingenio indignam aestimantes omnia alto spernunt supercilium, quaecunque veterum autorum lectio-
nem spirare videntur. Veteres iustitiae sacerdotes græcis & latinis litteris ab incunabulis imbuti nunquam studium neglexerunt, quod ad artem legitimam recte excolendam necessario pertinere credebant. Ita Ateium Capitonem Augusti tempore Iureconsultorum facile principem inter Grammaticos, & Rhetores eminuisse testatur SVETO-
NIVS de illuſtr. Gramm. c. 10. Eadem studia in deliciis quoque habuit Antistius Labeo, quem TACITVS libr. III.
Ann. c. 75. pacis decus non immerito vocat. Inde quoque fine dubio evenit, ut iuris Romani compilatores *itu-
lum illum de verborum significatione* collegerint interpretationi grammaticae inservientem, sed illustrem materiam nondum exhausti.

X.

De mente legum eruenda.

Suffecerint, quae de explicatione verborum diximus. At interpretis dubitatio non semper in verbis haeret, sed faepissime etiam in mente legis eruenda versatur. Id si ac-
cidat

C

cidat tenendum erit dictum Pauli in l. 19. D. ad exhibendum:
 "Non oportet ius civile calumniari, neque verba captare, sed
 "qua mente quid dicatur, animadvertere. Proinde mente &
 ratione merito lex omnis censetur verbis scilicet ad illas
 tantum declarandas inventis, & comparatis. Inde recte
 dicitur in l. 28. C. de usuris, leges non verbis, sed rebus pri-
 mario esse positas. Atque eandem ob rationem imperator
 in l. 2. C. com. de leg. sic infit; *nos non verbis, sed ipsis rebus*
leges imponimus, id quod pluribus etiam locis repetitur. (a)
 Sed audiamus etiam CICERONEM oratorum principem,
 qui hac in re cum Iureconsultis, & legibus amice consiprat;
 eaque, quae modo diximus, optime sic explicat: *Liber. II.*
de Invent.

"Leges nobis curae sunt non propter litteras, quae tenuer-
 "e & obscurae notae sunt voluntatis, sed propter earum rerum,
 "quae scriptae sunt, utilitatem: & corum, qui scripsierint, sa-
 "pientiam, ac diligentiam.

At alio loco idem ille dicit:
 "Legem in sententiis, non in verbis consistere, & iudicem tunc
 "demum obtemperare, si sententiam eius, non scripturam, se-
 "quatur.

XI.

Quid contra legem & quid in fraudem legis agere.

Quae si cogitatueris sponte, ni fallor, intelligitur, idem
 esse, utrum quis adversus legis mentem, an contra eius ver-
 ba clara, & diserta peccet, seu impingat propterea quod
 hoc

(a) L. 3. C. de Liber. praeter.
 L. 9. C. quae res pign.
 §. 2. I. de Legatis.

hoc modo aperte contra legem agit, illo modo autem legi fraudem dolose infert. Egregie sane haec exposuit Paulus noster in L. 29. D. de Legibus, CONTRA legem facit, “inquis-“ens, qui id facit, quod lex prohibet: IN FRAUDEM vero, “qui salvis verbis legis sententiam eius circumvenit. Idem in leg. 30. D. cod. aliter quidem, sed bene rem hunc in modum explicat; FRAVS legi fit, ubi quod fieri noluit, fieri autem non vult, id fit: & quod disfat est etiam dico, id est di-
ctum a sententia; hoc disfat FRAVS ab eo, quod CONTRA LEGEM FIT. Fraudes & deceptions vero a modesto Iure-
consulto & interprete legum procul abesse debent. (a) Bre-
vibus hic usque monimus, mentem legum, & quidem veram ante omnia esse inspiciendam, & leges scire non esse verba earum tenere, sed vim, & potestatem. Sed qua ra-
tione dubia, & obscura legum mens sit interpretanda, age
nunc videamus.

XII.

Mens legum benigna praesumenda & interpretanda est.

Subdubitanti ergo interpreti, utrum iuris rationem, &
mentem duriori interpretatione ad severitatem quandam producere; an potius benigniori explicatione utilitati publi-
cae consulere debeat, autor est Celsius Iureconsultus optimus verecundi interpretis doctor, ut benignitatis, & aequi-
tatis rationem potissimum habeat. “BENIGNIVS (inquit
ille) in l. 18. D. de Leg. leges interpretandae, quo voluntas
“earum conservetur.

In idem placitum conspirat Modestinus “in l. 25. cod.
“affirmans; nullam iuris rationem aut acquisitatis benignitatem
C 2

(a) SAMVEL STRYCKIUS in caueulis contract. Sect. I. c. 1. §. 8.

"pati ut, quae salubriter pro utilitate hominum introducantur, ea
 "nos duriori interpretatione contra ipsorum commodum produca-
 "mus ad severitatem. Neque, ut opinor, longe petenda est
 ratio, quae iureconsultos ad istam sententiam adduxerit.
 Leges enim, seu potius earum autores semper agunt, certe
 agere debent, ut ea, quae ab iis sint constituta, profint utili-
 tati publicae, nunquam, ut noceant. Inde est, si quid
 iudicare possim, quod affirmat Constantinus in l. 8. C. de Iu-
 "diciis: placuisse in omnibus rebus praecipuam esse iustitiae, ac
 "aequitatis, quam stricti iuris, rationem.

XIII.

Exemplum ex L. 14. C. de procuratoribus.

Elegans istud Iureconsultorum praeceptum probe ob-
 servavit Gordianus imperator in l. 14. C. de procuratoribus,
 quam ad illustrandam sententiam meam apponam. Imper-
 rator in loco illo A. Sabiniano consulenti, utrum negotium
 a femina minorenni *sine curatore*, prospere tamen gestum
 nullum sit, nec ne, ita respondet: "Non eo minus sententia
 "contra te lata iuris ratione subsistit, quod adveyria tua mi-
 "nor quinque viginti annis constituta causam suam marito suo
 "sine curatore agendam mandavit. Minoribus enim aetas in
 "damnis subvenire, non in rebus prospere gestis obesse consuevit.

Et quidem optime, si quid videam, respondit imperator
 mentem huius legis neglectis verbis alioquin duris ad
 aequitatis benignitatem flectens. Constitutum omnino erat,
 ut feminae, ne ob negotiorum imperitiam, & credulitatem
 deciperentur, nullam litem persequendam sine procuratore
 fuscipere deberent. In nostra vero causa, ubi negotium a
 femina *sine curatore* quidem, at prospere gestum narratur,
 illud,

illud, quod salubriter, ut Modestinus in *L. 25. D.*, de *Legibus* ait, in utilitatem infirmioris sexus introductum erat, in mulieris incommodum fuisset traductum; nisi imperator mentem legis ad aequitatem producens negotium a femina sine procuratore contractum validum, ac firmum declarasset.

XIV.

*Praetores in interpretandis Legibus aequitatem
observarunt.*

Imprimis praetores Romani optimi aequitatis moderatores, & arbitri stricti iuris rigorem secundum aequitatis, & verae iustitiae placita reformarunt. Ea scilicet erat pri- fcae iurisprudentiae Romanae facies, ut sumnum ius in summam saepissime evasisset iniuriam, nisi legibus benigniori interpretatione succurreretur. Docent, id verba solempnia, & formulae, quas IVSTINIANVS verborum aucupia, & litterarum tendiculas vocat. (a) Docet id interpretatio grammatica, quam in interpretandis le- gibus XII. tabularum negligere Iureconsultis veteribus pia- culum fuisset. (b) Sed ad hocce ius durum, atque rigidum molliendum praetores ex aequitate invenerunt, quea deinde de moribus, usuque sequentium praetorum vim iuris certi, atque perpetui obtinuerunt. Inde evenit, ut tempore Ciceronis iurisprudentia ex edictis hauriretur, ut antea e duodecim tabulis. (c) Fuerunt quidem Iureconsulti, iisque maiorum gentium, ut HEINECCIVS in *historia iuris* 1. 69 seq. & in

C 3

Anti-

(a) *Gravina* in *Orig. Iur. Civ.* pag. 451.
LEYSERI Medit. ad ff. Spec. V. Med. 3.

(b) I. H. BOEHMERI differt, de fatis interpret. grammaticae.

(c) CICERO de *Legibus* I. 5.

Antiquitatibus iuris I. 14, qui dicant, id a praetoribus nullo iure, & improbe factum esse. Sed sunt gravissimae rationes, quibus declarari possit, ius potestatemque suisse praetoribus talia iura ex aequitate proponendi, & in edictis promulgandi. (a) Caeterum omnino monendum est, in ea disputatione non spectari, quae improbi praetores contra ius fasque decreverint. De talibus hominibus intelligentius tantum videtur DIO CASSIVS Hisp. XXXVI. p. 21.

Ἐ γαρ (inquit ille) οἱ σφατηγοὶ, ταῦτα τα δικαιώματα ἀ περὶ τα συμβόλαια διετέτακτο, ὅτε ἐσπάταξ τέτ, ἐποιη, ὅτε τα γραφέντα επήρεν, ἀλλα πολλάκις αὐτα μετέγγραψον, καὶ συχνὰ εν τέτω πρὸς χάριν ἢ πατέ κατ' ἔχθραν τινῶν, ὥσπερ ἕκας ἐγίνετο.

Sed in iis institutis, in quibus verae aequitatis ratio habita est, & quae successu temporis usu confirmata sunt, praetores iure suo usos, credimus, ac fecisse, quod iis omnino licet. Praetores nimirum iuris civilis interpretes ius reddebat ex legibus, deinde ex moribus populi Romani, & in caeteris denique rebus, ubi neque leges, neque mores adessent, ex iure omnium gentium communi, id est ex aequitate naturali. Atque quis eos hanc ob rem poterit reprehendere, iisque improbitatis notam addere? (b)

XV.

*Exemplum interpretationis praetoriae ex §. 3. 1.
de exher: liber.*

Sed ut magisclareat, qua ratione praetores Romani ius durum, ac strictum ad aequitatis benignitatem flectere solebant, apponam exemplum quoddam ex bonorum possessio-

nis

imp
non
iudi
neq
de
“cja
“quitos
φει
ἴστιpat
inst
esse
Inc
ter
ror
eo
adj
&a
nit
ant
per

(a) RITTERVS V. C. in notis ad historiam Iur. HEINECCI

(b) IO. AVG: BACHII histor. iurispr. Rom. p. 214.

nis doctrina desumtum. Iure noviori parentibus Romanis imposita erat necessitas liberos suos heredes instituendi, aut nominatim exheredandi, ne maligne circa sanguinem suum iudicare possent *I. 4. ff. de in off. testamento.* At emancipatos neque instituere, neque exheredare tenebantur. *ex §. 3. I. de exher. liber.* Verba haec sunt: "Emancipatos liberos iure "civili neque heredes instituere, neque exheredare necesse est, "quia non sunt sui heredes. Optime Paraphrastes Graecus hunc locum ita vertit:

*Εἰχε τις υἱὸν, ἢ δούλαρέα ἐμαγύρπατες διατί θέμενος. οὐ-
τος δέννων κατὰ τὴν πολιτικὴν νοοῦσεσιαν, ἐν αἰδηψάται γε-
φειν αὐτὸς κληρονόμους, ἢ απολήγους ποιεῖν. Αγνῶσοι γαρ
έστι τῷ διωδεκάτῳ, δι τὸν ὑπέρσημον κάπιτις διμονυγίνα.*

Sed praetor Romanus aequitatis amans etiam emancipatis dedit bonorum possessionem contra tabulas, nisi vel instituti, vel masculi nominatim, & feminae inter caeteros essent exhereditati per alteram partem *§. 3. I. de exher. liber.* Incivile omnino praetori videbatur, ut emancipati plane paterna hereditate excluderentur eo magis cum institutio liberorum merito *dulce officium* in legibus vocari solet, & pater eo ipso *dulci officio* fungi dicitur in *I. r. C. de his, qui sibi adscript. in test.* Quid autem, quaeso rationi iuris naturalis, & aequitati rerumque humanarum conditioni magis convenit, quam haec benigna iuris stricti interpretatio, quae iam antea *usu & moribus* (a) invaluerat. Tali in causa ius civile per aequitatem a praetoribus eversum esse, qui statuas?

XVI.

(a) Moribus enim multa iura mutata & introducta esse, facile, comparando temporum rationes, intelligitur. Atque in legibus foenribus quidem, ac Lege Voconia diserte id radunt **APPIANVS B.** **C. lib. II. c. r. §. 18. & CICERO Verr. I. 41 seq.** Eadem ratione *Querela in officijs testamenti* invaluit, ut demonstravit **BYN-
KERSHOECK lib. II. observ. I. C. c. 12.**

XVI.

De extensione, & restrictione legum in genere.

Sed ut, e diverticulo revertar in viam, a qua me deduxerat rei curiosae, & utilis observatio, de interpretatione porro monebo, evenire saepe numero, ut *latius* pateant *verba*, quam sententia, & mens legum, & contra quoque, ut mente legum *verba sint angustiora*. Illic restrictio, hic legis extensio docto interpreti erit adhibenda. Quo facto in utroque casu id omnino pro lege habetur, *quod voluntate, non quod verbis continetur*. Nunc utrumque casum brevibus illustrare placet.

XVII.

De legum restrictione.

Itaque si accidat, ut *angustior* ipsis verbis sit legis voluntas, credendum erit, plus quidem dixisse, sed minus significare voluisse legislatorem. Pulerum huius interpretationis exemplum nobis proponitur *in l. 2. §. 3. D. ad SC. Vell.* At ut interpretationis via, quam Iureconsultus in loco nostro ingressus est, eo melius noscatur, totam causam illius legis enarrabo. Temporibus nimirum Divi Augusti, deinde Claudii editis horum imperatorum erat constitutum, ne feminae pro maritis suis intercederent. Postea vero factum erat Senatus Consultum Velleianum, quo *plenisime* omnibus feminis est subventum. Sed Ulpianus Iureconsultus verba illius Senatus Consulti executiens voluntatem legislatoris hanc fuisse sensit, ut *mulieribus ob sexus imbecillitatem succurratur in tali arduo negotio, & aleae plenisimo*: Minime autem ut subveniatur iis, quae *callide* sint versatae. Latius quidem

quidem patent, quod ille probe vidit, verba, quum voluntas Senatus Consulti. Tamen iure suo restrinxit verba ad veram legis sententiam, simulque ad restrictionem illam fundandam provocans ad rescriptum quoddam divi Pii, & Severi. Ita enim illi rescripserant:

*Ταῦτα ἀπατώσας γυναιξίν το δόγμα τῆς συγκλήτου Βε-
λῆς ε βούθει. (a)*

XVIII.

De legum extensione.

Exposuimus restrictionis legum rationem, reliquum est, ut etiam de *extensione* locorum legalium quaedam disputemus. Accidere quoque solet, ut sententia verborum legalium angustorum late sit porrigenda, & argumentando producenda ad non scripta, nec a legislatore cogitata. Fieri enim non potest per imbecillitatem humanam, ut omnes causae, sive species in posterum forsan emergentes expressis legum verbis comprehendantur. Omne tulit punctum legislator, si legibus ea, quae plerumque accidunt, continere studuerit. Quae videns recte sentit Ulpianus in *L. 12. D. de Legibus.* “*Non possunt OMNES ARTICVLi sigil-
latim aut legibus, aut Senatus Consultis comprehendendi; sed
cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is, qui
jurisdictioni praesest, ad similia procedere, & ita ins dicere
debet. (b)*

Sed in hoc interpretationis genere interpretes saepissime a recta via aberrare videres adversus scilicet mentem legis

(a) Add. *L. 3. §. ult.* & *L. 4. D. de Recept.*, & qui arbitr.

(b) *L. 10. II. 13. D. de Legibus.*

gis verba ad similia producentes, & certa licet legis sententia, interpretationem istam incongrue adhibentes. Ita errant, qui putent licitam parentibus esse exheredationem alias etiam ob causas, quam quae in Nov. 115. c. 3. sunt expressae. Verum est, alias & expressis forsitan iustiores exhereditationis causas accipi potuisse. Sed Imperatori nostro alias addere non est visum. Quid? quod de iustitia, & aequitate illarum causarum iudicare, novasque introducere non cadit in magistratum, sive iureconsultum non de Legibus, sed secundum leges tantum iudicantem. Solius enim est principis de legibus corrigendis, & transformandis edicere. Ferenda etiam est legum durities, donec a principe tollatur, nec adversus legem certam, et si iniquam, & duram colorem aequitatis excogitare privatis licet hominibus; ut iam supra (§. III.) pluribus observavimus.

XIX.

Minime in iure singulari extenso recte adhibetur.

Aliud etiam peccatum saepius committunt interpretes extensionem legum incongrue applicantes, dum id, quod contra iuris ordinarii rationem receptum est, ad consequentias producere nullo modo dubitant. Hunc errorem iam observavit, & merito notavit Paulus Iureconsultus in l. 14. D. de Legibus: "Quod contra iuris rationem receptum est, non est producendum ad consequentias. Itemque Julianus in l. 15. D. eodem egregie monet; in talibus constitutionibus non observari posse iuris regulam, ex qua alioquin dispositio legis ad consequentias trahitur. Proinde omnino erit credendum, tale ius singulare ob aliquam utilitatem publicam in uno tantum casu

casu esse introductum. (a) Potius in tali casu adhibendum est argumentum a contrario, quod in *L. 1. D. de officio eius, cui mandata iurisd. fortissimum* vocatur. Itaque in vera lege, cuius singularis est ratio, rectissime dicitur, *lex noluit, quod non dixit.* Tale exemplum praebet *L. 8. C. de revoc. donat.* quam scripsit Constantinus ad Orphitum Praefectum Praetorio. Ea lex specialiter patrono ob liberos postea natos concedit revocationem donationis antea liberto suo factae. Huc quoque pertinet *L. 22. D. de Legibus*, cum lex in praeteritum quid indulget, in futurum vetat. In ipsis exemplis, & his similibus verissime dicitur *lex noluisse, quod non dixit.* Ea vero, quae in veris legibus observantur, vana omnino, & inania sunt, si species ad rescripta Codicis repetitiae praelectionis, quae quidem ad certum, & determinatum factum tantum sunt directa. Vana in ipsis locis sunt argumenta, quae a consequentia, & a contrario praeter mentem ipsorum autorum duci solent. (b) Id in interpretatione rescriptorum, quibus Codex noster maximam quoad partem est compositus, probe observandum esse, nisi a recta via vehementer quis aberrare velit, in altera libelli parte pluribus demonstrare animus est.

(a) *L. 16. D. de Legibus*
 (b) Gerhard Noodt in Julio Paulo c. 7.

203

AC

IOA

ULB Halle
001 601 61X

3



TA-70C



Metzmann, De interpretat. leg. Romanae animo



B.I.G.
Farbkarte #13

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33 34 35 36 37 38 39 40 41 42 43 44 45 46 47 48 49 50 51 52 53 54 55 56 57 58 59 60 61 62 63 64 65 66 67 68 69 70 71 72 73 74 75 76 77 78 79 80 81 82 83 84 85 86 87 88 89 90 91 92 93 94 95 96 97 98 99 100 101 102 103 104 105 106 107 108 109 110 111 112 113 114 115 116 117 118 119 120 121 122 123 124 125 126 127 128 129 130 131 132 133 134 135 136 137 138 139 140 141 142 143 144 145 146 147 148 149 150 151 152 153 154 155 156 157 158 159 160 161 162 163 164 165 166 167 168 169 170 171 172 173 174 175 176 177 178 179 180 181 182 183 184 185 186 187 188 189 190 191 192 193 194 195 196 197 198 199 200 201 202 203 204 205 206 207 208 209 210 211 212 213 214 215 216 217 218 219 220 221 222 223 224 225 226 227 228 229 230 231 232 233 234 235 236 237 238 239 240 241 242 243 244 245 246 247 248 249 250 251 252 253 254 255 256 257 258 259 260 261 262 263 264 265 266 267 268 269 270 271 272 273 274 275 276 277 278 279 280 281 282 283 284 285 286 287 288 289 290 291 292 293 294 295 296 297 298 299 300 301 302 303 304 305 306 307 308 309 310 311 312 313 314 315 316 317 318 319 320 321 322 323 324 325 326 327 328 329 330 331 332 333 334 335 336 337 338 339 340 341 342 343 344 345 346 347 348 349 350 351 352 353 354 355 356 357 358 359 360 361 362 363 364 365 366 367 368 369 370 371 372 373 374 375 376 377 378 379 380 381 382 383 384 385 386 387 388 389 390 391 392 393 394 395 396 397 398 399 400 401 402 403 404 405 406 407 408 409 410 411 412 413 414 415 416 417 418 419 420 421 422 423 424 425 426 427 428 429 430 431 432 433 434 435 436 437 438 439 440 441 442 443 444 445 446 447 448 449 450 451 452 453 454 455 456 457 458 459 460 461 462 463 464 465 466 467 468 469 470 471 472 473 474 475 476 477 478 479 480 481 482 483 484 485 486 487 488 489 490 491 492 493 494 495 496 497 498 499 500 501 502 503 504 505 506 507 508 509 510 511 512 513 514 515 516 517 518 519 520 521 522 523 524 525 526 527 528 529 530 531 532 533 534 535 536 537 538 539 540 541 542 543 544 545 546 547 548 549 550 551 552 553 554 555 556 557 558 559 550 551 552 553 554 555 556 557 558 559 560 561 562 563 564 565 566 567 568 569 570 571 572 573 574 575 576 577 578 579 580 581 582 583 584 585 586 587 588 589 580 581 582 583 584 585 586 587 588 589 590 591 592 593 594 595 596 597 598 599 590 591 592 593 594 595 596 597 598 599 600 601 602 603 604 605 606 607 608 609 600 601 602 603 604 605 606 607 608 609 610 611 612 613 614 615 616 617 618 619 610 611 612 613 614 615 616 617 618 619 620 621 622 623 624 625 626 627 628 629 620 621 622 623 624 625 626 627 628 629 630 631 632 633 634 635 636 637 638 639 630 631 632 633 634 635 636 637 638 639 640 641 642 643 644 645 646 647 648 649 640 641 642 643 644 645 646 647 648 649 650 651 652 653 654 655 656 657 658 659 650 651 652 653 654 655 656 657 658 659 660 661 662 663 664 665 666 667 668 669 660 661 662 663 664 665 666 667 668 669 670 671 672 673 674 675 676 677 678 679 670 671 672 673 674 675 676 677 678 679 680 681 682 683 684 685 686 687 688 689 680 681 682 683 684 685 686 687 688 689 690 691 692 693 694 695 696 697 698 699 690 691 692 693 694 695 696 697 698 699 700 701 702 703 704 705 706 707 708 709 700 701 702 703 704 705 706 707 708 709 710 711 712 713 714 715 716 717 718 719 710 711 712 713 714 715 716 717 718 719 720 721 722 723 724 725 726 727 728 729 720 721 722 723 724 725 726 727 728 729 730 731 732 733 734 735 736 737 738 739 730 731 732 733 734 735 736 737 738 739 740 741 742 743 744 745 746 747 748 749 740 741 742 743 744 745 746 747 748 749 750 751 752 753 754 755 756 757 758 759 750 751 752 753 754 755 756 757 758 759 760 761 762 763 764 765 766 767 768 769 760 761 762 763 764 765 766 767 768 769 770 771 772 773 774 775 776 777 778 779 770 771 772 773 774 775 776 777 778 779 780 781 782 783 784 785 786 787 788 789 780 781 782 783 784 785 786 787 788 789 790 791 792 793 794 795 796 797 798 799 790 791 792 793 794 795 796 797 798 799 800 801 802 803 804 805 806 807 808 809 800 801 802 803 804 805 806 807 808 809 810 811 812 813 814 815 816 817 818 819 810 811 812 813 814 815 816 817 818 819 820 821 822 823 824 825 826 827 828 829 820 821 822 823 824 825 826 827 828 829 830 831 832 833 834 835 836 837 838 839 830 831 832 833 834 835 836 837 838 839 840 841 842 843 844 845 846 847 848 849 840 841 842 843 844 845 846 847 848 849 850 851 852 853 854 855 856 857 858 859 850 851 852 853 854 855 856 857 858 859 860 861 862 863 864 865 866 867 868 869 860 861 862 863 864 865 866 867 868 869 870 871 872 873 874 875 876 877 878 879 870 871 872 873 874 875 876 877 878 879 880 881 882 883 884 885 886 887 888 889 880 881 882 883 884 885 886 887 888 889 890 891 892 893 894 895 896 897 898 899 890 891 892 893 894 895 896 897 898 899 900 901 902 903 904 905 906 907 908 909 900 901 902 903 904 905 906 907 908 909 910 911 912 913 914 915 916 917 918 919 910 911 912 913 914 915 916 917 918 919 920 921 922 923 924 925 926 927 928 929 920 921 922 923 924 925 926 927 928 929 930 931 932 933 934 935 936 937 938 939 930 931 932 933 934 935 936 937 938 939 940 941 942 943 944 945 946 947 948 949 940 941 942 943 944 945 946 947 948 949 950 951 952 953 954 955 956 957 958 959 950 951 952 953 954 955 956 957 958 959 960 961 962 963 964 965 966 967 968 969 960 961 962 963 964 965 966 967 968 969 970 971 972 973 974 975 976 977 978 979 970 971 972 973 974 975 976 977 978 979 980 981 982 983 984 985 986 987 988 989 980 981 982 983 984 985 986 987 988 989 990 991 992 993 994 995 996 997 998 999 990 991 992 993 994 995 996 997 998 999 1000

NTATIO
TATIONE LE-
ANARVM;
ERTIM
E PRAELECTIONIS.

1770, 3
29)

ETRIDIS
HEREDIS IN THRONO
S, TOTIVS RVTHENORVM
EGIAE SVPREMI DVCIS
SATIAE STORMARIAE
TIS OLDENBURGICI

ORSTI RELIQA.

CANCELLARII
ANAE ALBERTINAE
NTISSIMI:

S ORDINIS IVRIDICI
OQUE IVRE HONORES
BTINENDOS

MDCCLXX.

DE
CVS MELLMAN.

ITTERIS BARTSCHIANIS.